

*vobis tempus benè vivendi, locum benè agendi, constantiam benè perseverandi, ad æternæ vitæ hæreditatem feliciter perveniendi, et sicut nos hodiè fraterna charitas spiritualiter jungit in terris, ita devota pietas, quæ dilectionis est auctrix et amatrix, nos cum fidelibus suis conjungere dignetur in cælis: per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

*V. Ecce quam bonum et quam jucundum*

*R. Habitare fratres in unum.*

*V. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

*R. A templo sancto tuo quod est in Jerusalem.*

*V. Salvas fac ancillas tuas,*

*R. Deus meus, sperantes in te.*

*V. Mitte eis auxilium de sancto,*

*R. Et de Sion tuere eas.*

*V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix,*

*R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

*V. Domine, exaudi orationem meam,*

*R. Et clamor meus ad te veniat.*

*V. Dominus vobiscum,*

*R. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

*Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et has famulas tuas, quas in congregatione beatæ Mariæ Virginis aggregavimus, benedicere † dignare, et præsta ut statuta nostra, per auxi-*